Hic quoq[ue] notandum est edictum Praetoris adversus eos, qui pro alijs postulare[a] prohibentur: Quod edictum à Praetore proponitur habendae rationis, suaeq[ue] dignitatis tuendae, & decoris sui causa, ne sine delectu passim apud se postularetur.

Et incipit[b] in eo sexum atq[ue] casum. Sexum, dum foeminae prohibet pro alijs postulare: Et est ratio prohibendi ne contra pudicitiam sexui congruentem, alienis causis se immisceant, & ne virilib. officijs fungantur mulieres. Origo vero introducta est à Carfania (alij Calphurnia) improbissima foemina, q[uae] inverecunde postulans, & magistratum inquietans, causam dedit edicto.

Casum, dum caecum, utrisq[ue] luminib. orbatum & alios, (de qb. in lege allagata.) Praetor repellit.

Causa efficiens Procuratoris est principalis persona, q[uae] eum constituit.

Subjectum [est] mandatum procuratorium & obligatio in eo contenta.

Objectum [est] res sive persona, in judicio defendenda.

Forma [est] ut ad lucrum & damnum partis constituatur. B. 35. Jus prov. C. 48.

Finis est, ut per Procuratorem constitutionis partes non minus ac si ipse adesset, in judicio defendantur.

a Postulare est desiderium suum vel amici sui in Jure apud eum qui Jurisdictioni praeest exponere, vel alterius desiderio contradicere. L. 1. ff. de postul.

b l. 1. ff. de postul.